


## **Principia Theologiæ Comparativæ Positionibvs Acroamaticis De Articvlis Fidei Cvmmaxime Evolvta : Dispvtatio Theologica**

Kiliæ: Litteris Godofredi Bartschii, [1732?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862436400>

Druck Freier  Zugang





62.

276

Fa-1092 (62.)

11  
th.  
ri el  
prae  
2 Cor  
in H  
4 Jo  
in is  
nor  
3  
tica  
3 Joh  
de tu  
D hy  
vjo  
D  
Jud  
6 Jo  
rel  
imp  
9 Jo  
pe  
10 Jo  
de ca  
11 Jo  
Ant  
nien  
12 Jo  
qu  
13 Jo  
Jesta  
14 Jo  
Joch

1. Phil Hen Lang et Fried David Geyer Dissert Antipoirot octava  
 et de Christoph Hen Lang Notae Couraige de satisfactione Jesu Christi  
 et Calixti in Concilio Tridentini Canonibus Godofr. Hassii Dissert Antipoirot nona qua  
 praecipuus ultimus illustratae contentum Saphet incarnationis Christi refulat  
 2. Carol. Christ. Wog De meditatione Sordium Joh. Wilhelm Hartmanni decima de Christiani-  
 in Alpha Episcopo interventione merito atque intercessione ac  
 3. Joach. Sam. Werckmann Theologiae Tridentinae substitutione  
 inis officio loquentibus alia sentientibus perb. 1. Gimmannel Petri Berer Dissert Antipoirot undec-  
 nam detrahit erima de sanctitate humanae Christianitati  
 4. Joh. Fried. Bort de applicatione humile-  
 tica absolute 2. Joh. Ernest. Iman. Walehii persecutio  
 5. Joh. Fried. Schmidt disputatio Theologica nis Christianorum aeternitatis in Hispan-  
 de justificatione particulari nis ex antiquis monumentis probandae  
 6. Gust. Georg. Zellneri de Theologo suspici-  
 oso Jehudiasma explanatio uberior  
 7. Joh. Dorn Laurii Commentatio de Felice 2. Georg. Dan. Schuderoptii Dissertatio  
 Judaeae procuratore de unctionibus veterum Hebraeorum  
 8. Joh. Herg. Zellii Dissertationum Antipoi-  
 rotationum et in ea prima de patrocinio convivalibus  
 9. Fried. Wilhelm Mentel Dissert. Antipoirot 21. Sam. Maetherides Romae et Generam  
 prima de iustitia Dei peccati vindice Hungariae reconciliabilis exponit  
 10. Joh. Jacob. Langü Dissert. Antipoirot. tertia 22. Joh. Christ. Mefferichmidt praedestina-  
 de culpa Beati et poena peccati tionum haeresis Lutherani falsas adha-  
 11. Joh. Caspar. Blümker de peccato Dissert. firmamentum veritatis sit magnum  
 Antipoirot quarta de peccati Adamici et pictatis mysterium  
 12. Christ. Godofred. Philippi Dissert. Antipoirot 24. Christ. Math. Passii Dissertatio  
 quinta de expiatione peccatorum typica de non appropinquando ad carnem carnis  
 13. Mauriz. Erdm. Bach Dissert. Antipoirot 25. Ill. Henr. Gottlieb. Richter de veteri ora-  
 sexta de indole ac virtute sacrificiorum pia- tionibus facis applaudendi more  
 14. Joh. Henr. Lent Dissert. Antipoirot de facti- 26. Ill. Andreae Kleeberg de gratia Christi  
 ficatione Jesu Christi a li Christham

- 28) D Jacob Hen Born De comuni  
one peregrina veteri clericorum consue-  
tudinibus
- 29) Beniam. Christoph Hermann De poly-  
gamma simultanea et legitima
- 30) Ill. Fried Gottl Cyriacus Cynellum  
Hypopolomitannum publice purgabat.
- 31) Carl Dan Freyberg Commentatio de  
abstinentia veterum Saxonae electo-  
rum in suscipienda stabiliendaq. Lutheri  
doctrina
- 32) Fried Andr Hallbaveri animae  
versio Theologica in licentiam novae  
easque Germanicae sacri edicis versi-  
ones. condendi
- 33) D Joach Hildebrandi tractatio de  
Donatione Constantini Imperatori facta
- 34) Joach Hildebrandi rituale orantium
- 35) Abraham Dirschel principia theo-  
logiae comparativae de articulis fidei
- 36) D Fried Guilihel Sahr ΠΑΤΤΙΣΜΟΣ  
ΥΜΕΡ ΤΩΝ ΨΕΚΡΩΝ
- 37) D Georg Christoph Delharding de  
bonarum cogitationum ab angelis fa-  
ctis suggesti suggestionibus

PRINCIPIA  
THEOLOGICÆ COMPARATIVÆ  
POSITIONIBVS ACROAMATICIS  
DE  
ARTICVLIS FIDEI  
CVM MAXIME EVOLVTA

---

DISPVTATIO THEOLOGICA

QVAM  
D. O. M. A.  
IN ILLVSTRI ACADEMIA  
CHRISTIAN-ALBERTINA  
DIE XI. IVNII A. M DCC XXXII.  
PVBLICE DEFENDENT

PRÆSES

GVSTAVVS CHRISTOPHORVS  
HOSMANNVS

CELS. PRINCIPI HERED. A SACRIS SVPREMI CONSIST.  
ADSESSOR SS. THEOL. D. EIVSDEMQUE PROF. P. ET  
AD ÆDEM DIVI NICOLAI ECCLESIASTES

ET RESPONDENS  
ABRAHAMVS DVNCKEL  
FRIDERICOPOLITANVS.

---

K I L I Æ  
LITTERIS GODOFREDI BARTSCHII  
ACAD. TYPOGR.

PRINCIPALIA  
THEOLOGICAE COMPARATIVE  
POSITIONIBUS AGRONOMICIS  
DE  
ARTICULIS FIDEI  
C. MAXIME FIDELIA

~~DEPARTMENTUM THEOLOGICUM~~  
D. O. M. A.

CHRISTIANA ACADEMIA  
CHRISTIANIA ACADEMIA  
DIE XI IULII A. MDCCLXXV  
CHRISTOPHORVS  
HONORARIVS

AD ACADEMIAM THEOLOGICAM  
AD ACADEMIAM THEOLOGICAM  
AD ACADEMIAM THEOLOGICAM  
AD ACADEMIAM THEOLOGICAM

K. I. P. A.  
LITTE. ED. THEOL. BARRON



Q. D. B. V.

THESIS I.

**T**heologia comparatiua est doctrina de necessitate singularum veritatum theologiarum, errorumque iisdem oppositorum momento, per principia verbo diuino vt oportet fulta ad prudentiam christianam, praesertim ecclesiasticam Doctoribus et Ministris apprime dignam, vt cum maxime informans.

II.

Dari Theologiam comparatiuam, cum ex 1 Sam. XV. 22. 23. Cohel. XII. 13. Osee VI. 6. Matth. XXIII. 23. tum ex 1 Cor. XV. 3. 4. 13. 17. Gal. V. 4. 1 Tim. I. 19. 2 Tim. II. 16. 17. seq. Hebr. VI. 1. aliisque Scripturae locis, satis abunde demonstrari potest.

III.

Principia Theologiae comparatiuae ipsa Scriptura piae accurataeque meditationi suppeditat, iisdem videlicet locis vnde sana de fidei, quos nuncupamus, articulis doctrina vel exurgit, vel per consuetudina rite deducta conficitur.

IIV

A

IV. In

## IV.

In rebus diuinis et ad salutem mortalium spectantibus, vtpote quae πνευματικῶς diiudicandae sunt, in quibus nempe Theologia versatur, reuelatio per Scripturam facta vnicum nobis est cognoscendi principium; Esa. VIII. 20. Io. V. 39. 2 Tim. III. 15. 1 Cor. II. 14. 2 Cor. IV. 4. 6. 2 Pet. I. 19 etc.

## V.

Reuelatio per Scripturam facta vel formalis est vel virtualis, formalis ipsis Scripturae verbis immediate, virtualis autem per confectionaria ex verbis Scripturae rite deducta, proindeque mediate, artis nempe ratiocinandi adiutorio, demonstratur; vtriusque vero vna eademque est auctoritas; 1 Io. II. 21. Io. V. 39. Matth. XI. 3. 4. f. XXII. 45. Luc. XX. 37. Act. X. 43. Rom. IV. 6. 7. etc.

## VI.

Scriptura vel praecepta, quae formaliter agenda nominamus, vel dogmata veritatesque proponit et patefacit, quae licet vitam moresque suo modo dirigant, Tit. I. 1. agenda tamen proprie dici nequeunt, ac proinde praeceptis, tanquam formaliter agendis, credendorum denominatione recte opponuntur. Etenim quae mere historica quibusdam in Scriptura videntur, ad credenda omnino reuocanda sunt; conf. Rom. XV. 4. 2 Tim. III. 16. Io. XX. 31. quemadmodum materiale quoque agendorum in credendis numerandum esse quilibet intelligit; conf. Thesin XIII.

## VII.

## VII.

Credenda, seu quae fidem exigunt, haud raro in Scriptura per metonymiam fidei nomine denotantur, v. c. Act. VI. 7. Gal. I. 23. III. 2. Eph. IV. 5. 1 Tim. IV. 1. Tit. I. 13. Iudae v. 3. 20. Apoc. II. 13. idcirco fides Theologis dicitur vel obiectiua, quae scilicet creditur, vel subiectiua, quae nempe creditur.

## VIII.

Obiectiuam fidem credenda constituunt, quatenus ea formaliter agendis, seu praeceptis, opponuntur. Fides itaque obiectiua generatim quidem est complexus dogmatum, seu veritatum de Deo T. O. M. eiusque voluntate, decretis et operibus, per Scripturam nisi formaliter, virtualiter tamen vel patefactarum, vel saltem ad credendum mortalibus propositarum; speciali vero sensu obiectiua fides ea pars est coelestis doctrinae, quae subiectiuae fidei quam salutarem dicimus, fundamentum constituit doctrinale; conf. Thef. XXIII - - - XXXIII.

## IX.

Singulae veritates, quarum complexus fidem constituit obiectiuam, generali sensu sic dictam, articuli nominantur fidei; siquidem ad totum coelestis doctrinae systema siue corpus, propter ordinatam cognitionem, tanquam partes pertinent.

## X.

Quaecunque propositiones articulis quidem fidei haud repugnant, veruntamen neque verbis Scripturae, neque

A 2

confe-

consequentia ex verbis Scripturae deducta, ita demonstrari possunt, vt interpretationis aequae ac consequentiae necessitas regulis hermeneuticis artis ratiocinandi legibus euita in tutoque posita adpareat, philosophicae dicuntur; quodsi vero virtualis earundem reuelatio vtcunque probari potest, problematicae nominantur conclusiones, articulis autem fidei nequaquam accensendae sunt.

### XI.

Articulos fidei qui ex sola Scriptura innotescunt, ac proinde tantummodo creduntur, puros nuncupamus; mixtos autem dicimus, qui propter Scripturae quidem, qua fulgent, auctoritatem in credendis numerantur, rationem tamen non omnino fugiunt, atque adeo sciri etiam possunt; Rom. I. 19. 20. Heb. XI. 6.

### XII.

Ratio formalis veritatum quas fidei nominamus articulos, qua nempe ab aliis veritatibus, claris caeteroquin et omnino apertis, differunt, est diuina earundem per Scripturam siue formalis siue virtualis reuelatio, vel saltem declaratio; quippe quae eam infert credendi causam atque necessitatem quae dicitur mandati: quandoquidem ad cultum diuinum pertinet, ea quae scripta sunt credere, Act. XXIV. 14.

### XIII.

Credenda agendis opponuntur intuitu formae, non ratione materiae; materiale namque agendorum est doctrina  
longe

longe certissima de diuina circa actiones humanas voluntate, formale vero illud dicitur, quod fidei hanc partem in esse legum constituit.

XIV.

Cognitionis necessitas de articulis fidei vel absolute praedicatur vel hypothetice; absoluta necessitas salutis nititur oeconomia, quatenus illa ex Scriptura nobis innotescit, hypothetica vero ex subiecti vel officio vel denominatione exurgit.

XV.

Articulos fidei qui cognitu absolute sunt necessarii creditu etiam absolute necessarios esse res ipsa docet; reliqui hypothetice tantum necessarii sunt creditu, illis nimirum quibus cognitu sunt necessarii, et a quibus etiam formalis eorundem ratio cognoscitur.

XVI.

Cum Scriptura, maxime intuitu veritatum virtualiter patefactarum vel propositarum, inexhaustus sit thesaurus, numerum articulorum fidei definire in humani ingenii haud positum est viribus; neque certe idonea cur fieri id debeat proferri potest ratio.

XVII.

Fundamentum fidei obiectiuae proprie est veracitas diuina, neque repugnabimus, si quis euidenciam reuelationis, ipsumque adeo formale articulorum fidei, ad fundamentum hocce dixerit pertinere. At enimvero, qui Paulum, 1 Cor. III. 10. 11. vbi Christum, seu doctrinam potius de Iesu Seruatore, fundamentum nuncupat, de fidei

obie-

obiectivae, siue quae creditur, fundamento loqui, proindeque aedificium quoddam dogmaticum, seu systematicam articulorum fidei connexionem, in mente habuisse contendunt: illi profecto articulos fidei ad eiusmodi connexionem nunquam reuocabunt, vt vel doctrina de Iesu Seruatore, vel aliud quoddam dogma fundamento quadantenus respondeat et commode nominari possit fundamentum, quin idea aedificii, quod cuncta quidem dogmata recipiat, prorsus et omnino euanescat. Immo, vt de aliis nihil addamus difficultatibus, ipsa sane Apostoli, quam v. 9. praemisit expositio: *Θεὸς γὰρ ἑσμεν συνεργοί - - - Θεὸς ὁμοδομή ἔστε*, vt cum maxime huic interpretationi refragatur; inde namque non tantum iudicatu procliue, sed omnino apertum et planum est, neque de obiectivae neque de subiectivae fidei fundamento sermonem hic esse, sed potius de fundamento ecclesiae visibilis, cuius fulturae et substructiones, vt metaphorice cum Apostolo loquamur, trabesque et apices compactiles, quibus vel suscipitur vel coagmentatur, ritus sunt et disciplina externa, Ministrorum videlicet prudentiae eo quidem tempore maximam partem commissa. Atque constructionis hac opera ipsemet Apostolus, praemissis praemittendis, a capite quinto vsque ad decimum quintum, atque adeo per decem huius epistolae capita deinceps functus est. Recte tamen ex hoc loco probamus, doctrinam de Iesu Seruatore subiectivae salutarisque fidei fundamentum esse; ecclesiae namque visibilis fundamentum dogmaticum esse nequit, nisi quod fidem progignere potest salutarem: neque negamus articulos fidei ad systematicam connexionem, quoad eius quidem commode fieri potest, recte omnino reuocari.

XVIII.

Subiectiua fides, siue qua creditur, generatim quidem nihil est aliud quam cognitio, persuasio et fiducia cordis, qua veritates diuinitus per Scripturam vel patefactas vel saltem confirmatas tanquam DEI verbum amplectimur; in specie vero subiectiua fides salutaris dicitur fiducia, qua per gratiam diuinam credimus, Deum propter Christi meritum peccata nobis remittere, aeternamque vitam daturum esse. Irregeneratorum enim adensus, quantumuis per uerbum Dei, indeque profectam supernaturalem illuminationem productus Deum utique, hoc sensu, auctorem agnoscat, cum ipsorum culpa vel nullam vel praeposteram falsique adeo nominis fiduciam progignat, improprie tantum et aequiuoce fides nominatur, historica idcirco dicenda; sed hanc non magis quam miraculosam, quae itidem subiectiua est, huius esse loci, ex ipsa instituti ratione quilibet facile intelligit.

XIX.

Obiectum fidei subiectiuae, seu qua creditur, recepta quidem distinctione, vel materiale est vel formale; materiale obiectum sunt dogmata siue veritates theologicae, formale vero obiectum est ipsa earundem reuelatio per Scripturam facta, eo uidelicet sensu quem Thesi XII. exposuimus: Sed inde simul intelligitur, rectius clariusque dici, obiectum subiectiuae fidei esse credenda, quorum nempe complexus obiectiuam constituit fidem, huiusque obiecti materiale esse veritates, formale vero reuelationem.

XX.

memixsri

## XX.

Fundamentum fidei subiectivae, proprie et quidem speciali sensu sic dictae seu fiduciae salutaris, est vel organicum, vel reale, vel denique doctrinale.

## XXI.

Organicum fidei subiectivae, speciali sensu sic dictae, fundamentum, quod aliis ministeriale et fundans nominatur, est supernaturalis verbi euangelici, vnde viuum illud dicitur, potentia, itemque Sacramentorum *ἐνέργεια* spiritalis et ministerii ecclesiastici diuina efficacia; Rom. X. 8. 15. 17. Io. XX. 31. Eph. II. 20. 2 Pet. I. 19. Io. III. 5. 8. 1 Cor. IV. 15. Gal. IV. 19. 2 Cor. III. 3. IV. 6. 1 Tim. IV. 16 etc.

## XXII.

Reale subiectivae speciali sensu sic dictae fidei fundamentum, quod substantiale quidam nuncupant, est generatim quidem ipse DEVS secundum ea potissimum attributa, quae per euangelium cum maxime nobis innotescunt, consideratus; in specie vero Iesus Christus, quatenus nempe Mediatoris personam sustinet; Psal. CXVIII. 22. Matth. XXI. 42. Esa. XXVIII. 16. Io. III. 16. 36. Act. IV. 11. 12. Rom. IX. 33. Eph. II. 20. f. 1 Pet. II. 6. 7. etc.

## XXIII.

Doctrinale siue dogmaticum subiectivae fidei speciali sensu sic dictae fundamentum est complexus veritatum, quarum posita in adultis vel ignorantia vel negatione quantumvis haud malitiosa, vel simpliciter vel in relatione etiam ad proxima sua confectaria spectata, fides subiectiua speciali sensu sic dicta, intuitu ordinariae dispensationis diuinae gratiae per Scripturam patefactae, vel prorsus eueritur vel maximam

maximam partem labefactatur. Tale namque dogmaticum constitui debet fundamentum, quod conseruandae etiam fidei in quocunque statu aptum censi potest; 1 Cor. III. 11. Judae v. 20. 1 Pet. I. 7. 2 Pet. III. 17. Eph. IV. 14. Atque dogmaticum hocce fundamentum speciali etiam sensu fides, scilicet obiectiua seu quae creditur, in Scriptura nominatur; conf. Thesin VII. et VIII.

XXIV.

Intuitu fundamenti doctrinalis, et subiectiuae quae huic innititur fidei speciali sensu sic dictae, quidam obiectiuae fidei articuli fundamentales, reliqui vero nonfundamentales vel praeterfundamentales nominantur; articulus enim fundamentalis est pars fidei obiectiuae speciali sensu sic dictae, quippe quae fundamentum constituit doctrinale subiectiuae fidei speciali sensu sic dictae, in adultis et secundum ordinariam gratiae diuinae dispensationem, per Scripturam patefactam, in quocunque statu durabilis. Solum videlicet dogmaticum fundamentum partibus specialioribus siue articulis constat, veluti corpus quoddam compositum, cum reliqua, in relatione ad fidem subiectiuam spectata, longe sint simplicissima.

XXV.

Fundamentales fidei articuli sunt partes fidei obiectiuae, quae ab adultis vel ignorari, ac proinde etiam simpliciter negari, vel saltem negari nequeunt, haud malitiosa etiam negatione, in relatione vero ad proxima quaedam confectaria sua spectata, salua in quocunque statu subiectiua speciali sensu sic dicta fide, intuitu ordinariae dispensationis gratiae.

B

XXVI.

## XXVI.

Fundamentales fidei articuli sunt vel primarii vel secundarii. Primarii non tantum negari nequeunt, ut ut haud malitiosa negatione, vel simpliciter vel in relatione etiam ad proxima sua consecutaria spectata, sed ignorari quoque haud possunt ab adultis, salva fide subiectiua salutari secundum ordinariam gratiae dispensationem; secundarii fundamentales articuli negari quidem nequeunt haud malitiosa etiam negatione, sed in relatione ad proxima quaedam consecutaria sua spectata, ignorari tamen possunt ab adultis salva fide subiectiua speciali sensu sic dicta.

## XXVII.

Primarii fundamentales articuli sunt vel constitutiui vel antecedentes. Constitutiui ipsam fidem salutarem operantur; antecedentes ad producendam quidem hanc fidem vel nihil faciunt, vel saltem ratione causalitatis non immediate concurrunt: eo tamen sensu omnino ad eandem sunt necessarii, quod citra eorundem vel explicitam vel implicitam certe cognitionem, secundum ordinariam gratiae diuinae dispensationem, per constitutiuiorum potentiam fiducia salutaris produci in adultis nequeat.

## XXVIII.

Articuli fundamentales primarii constitutiui sunt partes fidei obiectiuae, quarum posita, post legalem paedagogiam ut oportet admissam, explicita cognitione, propter diuinam earundem potentiam in non reluctantes ipsa simul ponitur fides subiectiua speciali sensu sic dicta; et quarum rursus negata explicita cognitione, fides etiam subiectiua salutaris

lutaris, intuitu ordinariae dispensationis gratiae, poni in adultis prorsus nequit.

XXIX.

Complexus articulorum constitutiuium, siue enuntiatio omnes articulos constitutiuios implicite et virtualiter exhibens, articulus nominatur constitutiuius formalis; singulorum quippe diuina potentia in adultis et non reluctanti- bus, admissa vt oportet legali paedagogia, fidem salutarem proxime et immediate producens productamque adeo sistens.

XXX.

Antecedentes articuli primarii fundamentales sunt vel remotiui vel praesuppositiui. Remotiui negari nequeunt simplici etiam negatione et citra relationem ad consecraria sua spectata, salua fide subiectiua speciali sensu sic dicta, eorumque adeo haec fides in adultis explicitam omnino requirit cognitionem, praesuppositiui negari quidem nequeunt haud malitiosa etiam negatione, sed in relatione tamen ad proxima sua consecraria spectata, salua hac fide salutari, eorumque haec fides implicitam tantummodo requirit cognitionem.

XXXI.

Remotiui antecedentes primarii fundamentales articuli sunt credenda quaedam generalia de SS. Trinitate, et quae materiale constituunt agendorum, de voluntate diuina circa actiones humanas itemque iustitia iudiciali: quorum videlicet negata explicita cognitione fides salutaris in eodem subiecto per constitutiuium potentiam producta poni nequit.

XXXII.

Praesuppositiui antecedentes primarii fundamentales articuli sunt partes fidei obiectiuae seu credenda, quorum ne-

B 2

gatione

gatione per proximum aliquod inde emergens confectarium constitutiuis quidam articulus simul negatur: ad fidem subiectiuam, speciali sensu sic dictam, non quidem quoad explicitam seu distinctam, attamen quoad implicitam cognitionem in adultis necessaria.

## XXXIII.

Secundarii fundamentales articuli, qui negari nequeunt haud malitiosa quoque negatione sed in relatione ad proxima sua confectaria spectata, veruntamen ignorari ab adultis etiam possunt, salua subiectiua speciali sensu sic dicta fide, sunt ipsa constitutiuiorum articulorum proxima confectaria, nisi formaliter, virtualiter tamen hoc modo patefacta, ac proinde in obiectiuae fidei partibus censenda.

## XXXIV.

Articulus fidei nonfundamentalis, siue praeterfundamentalis, est pars fidei obiectiuae, quae non tantum ignorari prorsus ab adultis, sed negatione quoque haud malitiosa, in relatione etiam ad proxima sua confectaria spectata, negari potest salua fide subiectiua speciali sensu sic dicta; cognitu quippe credituque non nisi hypothetice necessaria, et a constitutiuis articulis vel omnino remota, vel remotior saltem antecedentibus et secundariis.

## XXXV.

Cognitionis explicitae quoad articulos constitutiuos necessitas est absoluta quam nuncupamus medii; quoad antecedentes remotiuos, indigentiae; quoad praesuppositiuos et secundarios, expedientiae maxime propter tentationes; quoad nonfundamentales, praecepti sed hypothetica.

## XXXVI.

## XXXVI.

Quamquam fides subiectiua salutaris, et obiectiua quoque, speciali sensu sic dicta, quam fundamentum nominamus doctrinale, quoad essentiam suam et substantialia in omnibus et omni tempore vna est eademque, Act. XV. 11. Eph. IV. 5. diuersa tamen dispensationis ratio constitutiouum articulorum pleniorum clarioremque in adultis sub nouo testamento requirit cognitionem; inde vero plures utique resultant articuli constitutiui, quorum adeo intuitu explicitae cognitionis necessitas est medi; v. c. Iesum, *en úpro- Séret*, esse Christum, Act. II. 36. IV. 12. VIII. 37. X. 38. 43. 44. etc. Eadem est ratio antecedentium praesuppositiuorum; in his namque sub nouo hocce testamento omnino etiam numeranda est doctrina de existentia reuelationis in scriptis apostolicis.

## XXXVII.

Articulos fidei, nisi demonstrata diuina per Scripturam reuelatione siue formali siue virtuali, neque Doctores neque Ecclesia per auctoritatem suam augere vlllo modo possunt; siquidem nemo dominatur fidei christianorum, vel tradere quicquam debet nisi a Domino acceptum, 1 Cor. XV. 3. 2 Cor. X. 13. Gal. I. 8. 9. 12. clauso vero canone reuelatio diuina nisi ex Scriptura demonstrari nequit, 2 Theff. II. 9. 10. 15. conf. Act. XXVI. 22.

## XXXVIII.

Articulos fidei fundamentales, quorum vel indigentiae vel medi est necessitas, post reductam verbi diuini lucem, nemo mortalium per Scripturae quoque scrutationem augere iam potest; etenim in ipsa Scriptura, quae clauso cano-

ne cessanteque adeo reuelatione vnicum cognoscendi nobis principium est, ea dogmata quorum fides salutaris, secundum ordinariam gratiae dispensationem, explicitam in omnibus adultis requirit cognitionem tot tantisque tecta et inuoluta latere tenebris, vt tot interpretum Doctorumque curam et industriam prorsus et omnino praeterire potuerint, non tantum 2 Tim. III. 15. aliisque locis quibus perspicuitatem Scripturae comprobamus, vel maxime repugnat, sed omni quoque caret vmbra et specie veritatis.

## XXXIX.

Articulos fidei praeterfundamentales, vel quorum etiam expedientiae tantummodo dicitur necessitas, per Scripturae scrutationem augere velle, idem est ac lumine reuelationis ad incrementum cognitionis recte vti; sed cautione opus est et circumspectione, ne pro veritatibus theologicis, fideique proinde articulis problematicas amplectamur aliisque obtrudamus conclusiones.

## XL.

Error apud Theologos est quaelibet tam negatio articuli cuiusdam fidei, quam adsertio articulo cuidam fidei vel per se vel vi legum consecutionis contraria.

## XLI.

Errorum maior haud raro potentia est obiectiue spectatorum quam subiectiue: siquidem non in mente semper errantis actu secundo efficiunt, quod quidem actu primo, speculatiue nimirum seu vi legum consecutionis, possunt et consecutariis admissis omnino etiam efficere existimandi sunt. Recte tamen erroris momentum per consecutaria rite inde dedu-

deducta, et errori utique imputanda, demonstratur; Matth. XV. 4. f. 1 Cor. XV. 14. 16. Gal. II. 21. V. 2. 1 Io. II. 21. etc.

**XLII.**

Errorum minor haud raro potentia est obiectiue spectatorum quam subiectiue: quaelibet namque malitiosa cuiusvis fidei articuli, quantumvis praeterfundamentalis, negatio ad mortalia pertinet peccata quae fidem salutarem in subiecto evertunt, quandoquidem omnes articuli fidei mandati fulgent necessitate; hypothetica vero praeterfundamentalium necessitas illorum intuitu, quibus formale eorundem planum et apertum est, absolutae iam induit rationem.

**XLIII.**

Quaecunque veritas pars est constitutiua fundamenti quo fides subiectiua speciali sensu sic dicta nititur, illa quidem fundamentum dici nequit, sed rectius utique fundamentalis nominatur; nihilominus error tamen veritatem eiusmodi siue articulum fundamentalem constitutum tollens, ipsum omnino fundamentum euertere existimandus est. Enimvero deficiente articulo fidei qui pars est fundamenti constituens, reliqua dogmata fundamentalia fidei subiectiuae salutari fundamentum praebere haud quaquam possunt. Articulorum remotiuorum, quorum scilicet indigentiae est necessitas, eandem omnino rationem esse nemo non perspicit.

**XLIV.**

Quilibet error articulum fundamentalem vel remotiuum vel constitutum simplici negatione, seu immediate conuellens, tam subiectiue quam obiectiue fundamentalis est.

**XLV.**

## XLV.

Quicumque error vel praesuppositiuum vel secundarium fidei articulum per se et immediate, ac proinde constitutiuum speculatiue, et per proximum quidem confectarium euertit, ille admissio confectario subiectiue, sed negato obiectiue tantum fundamentalis est.

## XLVI.

Quicumque error per proximum confectarium, rite quidem deductum, articulum constitutiuum tollit, etiamsi praesuppositiuos et secundarios per se non attingat, ille obiectiue utique, admissio vero confectario subiectiue etiam fundamentalis est.

## XLVII.

Error quo pietatis bonorumque operum ea quam Scriptura patefacit necessitas negatur, obiectiue, confectario autem ipsa praxi admissio, subiectiue fundamentalis est; siquidem circa materiale agendorum ita versatur, ut non tantum secundarium fundamentalem articulum euertat, sed primum quoque remotiuum haud leuiter attingat.

## XLVIII.

Quicumque errores per proxima sua confectaria ipsam fiduciam salutarem in quibusdam saltem subiectis diffidere et euertere possunt, illi propterea in obiectiue fundamentalibus censendi sunt, quod fundamenti vocabulum ex numero relatorum est, fundatque infert ideam; haec autem, dissoluta a fundamento suo fide subiectiua, speciali sensu sic dicta,

dicta, prorsus et omnino euanescit, quantumuis ipsum fundamentum dogmaticum intactum inuiolatumque relinquatur; v. c. quidam errores circa articulos de fundamento organico, de abscondita Dei voluntate, itemque de contritionis et fiduciae salutaris indole et indicis.

## XLIX.

Quicumque error grauissima eiusmodi progignit peccata quae in quibusdam saltem subiectis fidem speciali sensu sic dictam ipso actu euertunt, ille obiectiue certe fundamentalis est, etiamsi fundamentum dogmaticum haud attingat; quicquid enim ipsam in subiecto destruit et a fundamento suo dissoluit salutarem fiduciam, illud etiam ab articulis fundamentalibus, id quod vnum idemque est, intuitu eiusdem subiecti  $\tau\delta$  esse fundamenti tollit, conf. Thesin praeced. itemque 1. Tim. I. 19. 2. Tim. II. 16. 17. 18. 2. Pet. III. 14. 17.

## L.

Inter errores obiectiue fundamentales grauissimi quidem videntur, qui ipsam fiduciam salutarem a fundamento suo dissoluere, seu quod idem est, saluo fundamento  $\tau\delta$  esse fundamenti tollere in subiecto possunt. Inter reliquos autem obiectiue fundamentales momentosiores existimamus, qui praesuppositiuis quam qui secundariis fidei articulis aduersantur; siquidem fides salutaris praesuppositiuorum cognitionem etiam in adultis exigit, quantumuis implicitam, et praesuppositiui praeterea, cum constitutiuis rursus articulis quasi fundamentum praebeant, proprie omnino ad ipsum fundamentum, siue id quod primum est in structura, pertinent.

## C

## LI.

## LI.

Errores circa fidei subiectivae, speciali sensu sic dictae, vel organicum vel reale fundamentum, nisi vel ipsam salutarem fiduciam a fundamento suo dogmatico dissolvere possint, vel dogmaticum eius fundamentum per se et immediate attingant, aequivoce quidem et improprie fundamentales nominari possunt, rectius vero ad praeterfundamentales reuocantur.

## LII.

Errores circa articulos fidei quorum professionem ecclesiasticae leges, externae vnionis causa, exigunt, nisi vel ipsam salutarem fiduciam a fundamento dogmatico dissolvere possint, vel dogmaticum eius fundamentum immediate et per se attingant, proprie, seu quod idem est intuitu fidei subiectivae salutaris, fundamentales nominari nequeunt, sed ad praeterfundamentales pertinent; quantumvis caeteroqui ratione externae communionis, propter leges nimirum ecclesiasticas, atque adeo improprie et aequivoce dici possint fundamentales.

## LIII.

Quicumque error articulum vel remotivum vel constitutum neque per se neque per proximum quoddam confestarium euertit, atque adeo reliquis etiam fundamentalibus immediate haud repugnat, vel circa articulos praeterfundamentales ita versatur, vt neque grauissima eiusmodi progignat peccata, quae fidem salutarem ipso actu in quibusdam saltem subiectis destruunt, neque saluo fundamento dogmatico esse fundamenti tollere possit, ille obiectiue quidem spectatus

tus praeterfundamentalis est, quantumvis intuitu subiecti fundamentalis esse queat; conf. Thesis XLII.

LIV.

Inter errores praeterfundamentales grauiores et momentosiores censemus qui vel prope absunt a dogmatico fundamento, vel reliquos de organico et reali fundamento articulos attingunt, vel denique articulos fidei quorum formalis est reuelatio euertunt; siquidem necessitatis quoad praeterfundamentales articulos, quae nempe mandati est et quidem hypothetica, ex ipsa formali reuelatione, quippe quae ne umbram quidem admittit excusationis, haud obscurum exsurgit argumentum.

LV.

Errantes qui vel Iesum Nazarenum Christum esse negant, vel de officio Christi ita sentiunt ut in Christianis censi haud cupiant, recte infideles nominantur, tametsi necessitatem reuelationis et quorundam fidei articulorum formale omnino agnoscant.

LVI.

Contumaciter et malitiose errorem propugnare existimandus est, qui vel legitimam disputandi rationem deuitat; vel in disputatione secundum legitimam rationem ex verbo diuino instituta succubuit atque defecit, nihilominus tamen opinionem suam verbis factisque ornare veritatisque illi speciem conciliare nititur, intellectus vero vitio laborare dici nequit.

C 2

LVII.

## LVII.

Qui errorem subiectiue fundamentalem fouet, eundemque contumaciter et malitiose propugnat, et christianus tamen nominari cupit, ille haereticus est, et communione ecclesiastica frui nequit; Rom. XVI. 17. 2. Cor. VI. 14. 15. 16. Gal. I. 8. 9. 1. Tim. VI. 3. 4. 5. Tit. III. 10. 11. 2. Petr. II. 1. 2. Io. 7. 9. 10. 11.

## LVIII.

Qui propter errorem quem fouent et malitiose propugnant, vel praeterfundamentalem, vel obiectiue tantum fundamentalem, a corpore Ecclesiae se ipsos scindunt, ecclesiastica phrasi schismatici dicuntur, perinde ac illi qui propter ritualia citra necessitatem ab externa communione secessionem faciunt; sed huiuscemodi schismaticos, cum charitatem soluant, suamque adeo fidem euertant, de Ecclesia et in corporis mystici membris censeari haud posse, tam apertum est quam quod apertissimum.

## LIX.

Qui propter errorem vel praeterfundamentalem vel obiectiue tantum fundamentalem, ex ignorantia, praeconcep-  
pta opinione, auctoritatisue praeiudicio, atque adeo ex infirmitate, eo nempe quod errorem suum pro verissima habent sententia, vel secessionem faciunt ab externa communione, vel a schismaticorum coetu ad externam communionem ecclesiasticam haud accedunt: illos certe, nisi aliae accedant

dant rationes quae subiectiuam salutaremque fidem euertere existimandae sint, de Ecclesia censendos et in Christi membris numerandos esse dubitari nequit.

LX.

Qui errorem obiectiue fundamentalem propugnât aliisque inculcare annitur, quantumuis ipsemet ab externa communione secessionem haud faciat, immo de subiectiua eius fide speciali sensu sic dicta dubitari non possit, prorsus tamen indignus est qui externa communione ecclesiastica fruatur; obstat nempe salus Ecclesiae, quandoquidem neque ipse neque alii prohibere vlllo modo possunt, quo minus error obiectiue fundamentalis, licet in subiecto haud fundamentalis sit, aliis fidelibus, qui facultate et arte ratiocinandi rectius vtuntur, per mentis operationes pronamque adeo consecutionem, subiectiue euadat fundamentalis; conf. Gal. V. 9.

LXI.

Qui errorem obiectiue quidem fundamentalem, sed qui propter explicitam negationem consecrarij subiectiue fundamentalis dici nequit, per ignorantiam fouent, immo veritatis quoque oppositae fundamentis rationibusque eolutis, intellectus vitio, retinent, et in statu confessionis opinionem suam tanquam verissimam sententiam tuentur; neque tamen ab externa communione ecclesiastica se scindunt, neque alios ad opinionem suam pertrahere nituntur: illi externa communione haudquaquam indigni sunt; nihil namque obstat, nisi aliae in promptu sint rationes, quo minus in

Christi discipulis, seu vere fidelibus habeantur, aliorumque salutem nihil inde imminet periculi.

## LXII.

Qui errorem praeterfundamentalem aliis inculcare an- nituntur, ita ut opinionem suam vel intellectus vitio vel per ignorantiam pro verissima habeant, illi salua subiectiva fide speciali sensu sic dicta, imbecilles quidem intuitu cognitionis credendorum, discipulorum vero Christi titulo neutiquam indigni; proindeque cum eorundem tolerantia aliorum salutem non sit periculo, nisi alia accedat ratio, ab externa communione non exterminandi sunt; Jo. XVII. 11. 21. 1. Eph. IV. 1. 2. 3.

## LXIII.

Qui errorem vel obiective tantum vel prorsus haud fundamentalem fouet ac profitetur, alios vero ad eundem pertrahere haud conatur, salua quidem subiectiva fide speciali sensu sic dicta, interna fruitur communione, et ab externa quoque propter errorem suum eiici haud potest; receptionem tamen propter *ἑραξίαν* recte illi denegamus, si error quem retinet receptae confessionis normae aduersatur.

## LXIV.

Quorumcunque errorum haud fundamentalium quoque falsitatem aperire, et quoscunque errantes ad veritatis agnitionem perducere, illis utique incumbit quorum curae et studio puritas doctrinae commissa est: quilibet etiam id  
operis

operis laborisque certo modo suscipere potest christianus; sed zelo a charitate profecto, eaque maxime quod ad praeterfundamentales attinet modestia, cuius necessitatem indolemque grauiter inculcauit descriptamque dedit Paulus, zelo utique diuino veritatisque amore plenissimus, 1. Cor. XIII. add. Phil. II. 3.

LXV.

Recte dicitur *νόσων περί ζητήσεως* qui conclusiones problematicas ad credendorum dignitatem euehere, aliisque tanquam fidei articulos obtrudere conatur; ab iis vero qui eiusmodi sunt secedere Paulus iussit, 1. Tim. VI. 4. 5.

LXVI.

Qui super conclusionibus problematicis cum quoquam, qui problematicas eas esse agnoscit et fatetur, acriter contendunt, illi praeterquam quod otio suo abutantur turpiter, impotentis etiam animi' haud obscurum exhibent indicium; immo de subiectiua fide, quam speciali sensu dicimus, grauissimam mouent suspicionem; Tit. III. 9. 1. Cor. XI. 16. 2. Tim. II. 14. 23. Gal. V. 20. Phil. II. 3. Iac. III. 14. f.

LXVII.


Quod ad curam pastoraalem, officiumque huc spectans didascalicum et elencticum attinet, maiorem quidem articulorum errorumque fundamentalium quam praeterfunda-  
men-

mentalium necessitatem esse, nemo non perspicit; circa  
 fundamentalium vero tam articulorum quam errorum ne-  
 cessitatem vel momentum, particularis cuiusque Ecclesiae  
 singulorumque auditorum status et conditio, prudentiae  
 subiecta examini, cuiusuis Ministri dirigere potest debet-  
 que iudicium. Caeterum prospicere oportet quemque  
 cupideque sed prudenter in hoc elaborare, vt audito-  
 res in agnitione dogmatum fidei, maiora indies tam ex-  
 tensiue quam intensiue capiant incrementa; 1. Cor. XIV. 1.  
 Phil. III. 15. IV. 8. 2. Pet. III. 18. Hebr. VI. 1. Eph. IV.

23. Col. I. 10. 1. Cor. I. 10. X. 23.  
 XIII. 2. etc.



*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

**COROL.**

**COROLLARIA.****I.**

**Q**ui ea quae vulgi captum excedunt fundamentalia haud esse opinantur, quod religio non minus vulgi sit, quam Doctorum, illi vel de articulis loquuntur vel de erroribus: Si de articulis? vel obiecti vel reuelationis euidenciam, quae vulgo haud minus quam Doctoribus aperta sit, in notis censent fundamentalium; sed neque obiecti, cum religionem mysteriis ad fundamentalia etiam reuocandis haud carere agnoscant; neque reuelationis, quod enim ad formalem attinet, ipsi vtique fatentur Scripturam hebraeo et graeco idioma te adornatam esse, ac proinde a vulgo hodie sine interpretis adiumento non intelligi; quod ad virtualem, vulgi eam captum excedere dici nequit, nisi ab iis qui animalia statuunt rationalia, quae ratione accedente licet demonstratione et informatione vtī prorsus haud possint,

**D**

possint,

possint, id quod **contradictionem** infert in adiecto. Quodsi vero de erroribus intelligi hanc volunt negationem, ita formare debent confectarium: religio non minus vulgi est quam Doctorum; ergo errores qui vulgi captum excedunt, vniuersè et sine exceptione subiecti fundamentales dici nequeunt; sed eiusmodi errores Doctoribus, quorum rursus non minus religio est quam vulgi, haud magis esse fundamentales, inde non consequitur.

## II.

Qui ad articulum fundamentalem requiri docent, vt in ipsis sanctioribus tabulis is talis esse dicatur vel tanquam talis exhibeatur; si non minus de virtualiter quam de formaliter addita necessitatis nota intelligi hanc volunt adsertionem, recte vtique praecipunt; quodsi vero de formali solummodo declaratione huiusce necessitatis loquuntur, luculentam adferre debent rationem, quae virtualis

lis hanc in rem dubiam faciat auctoritatem,  
quam profecto nunquam dabunt.

III.

Symbolum quod nuncupamus apostolicum, secundum fidei analogiam intellectum, ratione quidem externae communionis ecclesiasticae vel institutionis catecheticae fundamentum dici quodammodo potest, fidei vero subiectivae speciali sensu sic dictae fundamentum dogmaticum nominari nequit; siquidem intuitu huiusce fidei non omnes explicitè proponit fundamentales, nonnullos vero continet articulos praeterfundamentales.

IV.

Errores non eisdem omnibus fundamentales esse affirmamus; articulos vero fundamentales non esse eisdem omnibus, sed pro varia revelationis mensura variisque hominum

26

31

dotibus et circumstantiis varios esse, quae quorundam est sententia, intuitu noui huiusce testamenti omnino negamus, quantumuis pleniorum remotiuorum et explicitam praesuppositiuorum cognitionem quibusdam necessariam esse concedamus.

## V.

Non valet consequentia huiusce propositionis: Quoscumque errantes pro membris Christi, proindeque intuitu vnionis internae pro fratribus agnoscimus, illi ad externam communionem ecclesiasticam admittendi sunt; enimvero erroribus in subiecto quidem haud fundamentalibus, obiectiue tamen fundamentalibus, fenestram aperire, idem est ac fidelium salutem in magnum immo summum adducere discrimen: ex duobus igitur apertis hisce malis, quae quidem ex erroribus exsurgunt, minus utique eligendum est; conf. Thesin LX.

## VI.

VI.

Quicumque speciosas illorum actiones, qui errores fouent subiectiue fundamentales, ad dignitatem operum quae ex gratia proficiscuntur euehunt, atque adeo internae vnionis seu fraternitatis indicium praebere autumant: illi putrem arborem bonos ferre contendunt fructus, id quod fieri posse Christus disertissime negauit, Matth. VII. 18.

VII.

In verbis Apol. A. C. Art. IV. p. 148. *nam hoc quoque est tollere fundamentum, hoc est CHRISTVM*; nomen Christi non reale sed doctrinale fundamentum denotat.

VIII.


Doctrina de origine animae per traducem, quippe quae olim difficilis admodum atque ardui momenti subtilissimo alias Ecclesiae doctori Augustino visa est, non pertinet ad conclusiones problematicas, sed in fidei articulis habenda


benda est; siquidem ex doctrina Scripturae de propagatione foedissimi peccati per necessariam pronamque consecutionem emergit, atque adeo virtualiter in Scripturapatefacta est.


## IX.

Quanquam non puto suppliciis suadendam esse religionem, neque delector hominum dolore, tamen adeo non possum improbare exilia et poenas constitutas in eos, qui professa doctrina omnem religionem euertunt ac tollunt, ut necessarium hoc etiam factu existimem, nisi quis turbata omnia et Reipublicae ipsius ac societatis humanae vincula luxata, adeoque caliginem et miseriam, belluarumque vitam rebus humanis illatam cupiat. Verba haec magni viri, D. Jo. Alberti Fabricii, in libro cui titulus est: *Delectus argumentorum et Syllabus Scriptorum qui V. R. C. aduersus Atheos etc. asseruerunt*; cap. XIV, p. 376. omnium digna existimamus approbatione.

T A N T V M.







62


189.87  
2.3.



benda est;  
propagatio  
riam prona  
que adeo v

Quantum  
esse religion  
lore, tamen  
et poenas co  
ctrina omne  
vt necessariu  
quis turbata  
cietatis huma  
lignem et m  
bus humanis  
gni viri, D. Jo

lus est: *De*  
*Scriptorum*  
*asseruerunt*  
gna e



(o)

ex doctrina Scripturae de  
limi peccati per necessa  
nsecutionem emergit, at  
in Scripturapatefacta est.

IX.

puto suppliciiis suadendam  
ue delector hominum do  
n possum improbare exilia  
in eos, qui professa do  
onem euertunt ac tollunt,  
iam factu existimem, nisi  
Reipublicae ipsius ac so  
cula luxata, adeoque ca  
belluarumque vitam re  
upiat. Verba haec ma  
Fabricii, in libro cui titu  
umentorum et Syllabus  
C. aduersus Atheos etc.  
IV, p. 376. omnium di  
us approbatione.

T V M.

(o)